



Universitätsbibliothek Paderborn

**In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij
Francisci Lamberti Auenionensis**

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

Pars Tertia. Tertio, maximum eorum scelus, nempe odium Prophetarum
describit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35983

FRANC. LAM. IN AMOS

qui non subiicitur alicui. Omnes siquidem illi subiiciuntur. Et alij quicunque, sic cum eo conferantur, & si summi Reges sint, eius respectu, Domini nequeunt adpellari.

In eo denique, quod uastitatem subridere dicitur, obserua, quod omne flagellum, est risus quidam in conspectu **D O M I N I**, hoc est, facile quiddam, quod mox quasi risum excitare, & excitatum mox sedare potest, quemadmodum & risus hominis, facile & provocatur & reprimitur. Ideo nemo frangatur, cum uidet horrendae manus Altissimi uastitatem. Nimurum illi est facillimum, uniuersa quae uastata sunt, restaurare. Precaudus est igitur, multa cum fiducia bonitatis sue, & nihil dubitandum, quod nuncquam obliuiscitur misereri, sedabitque uestigio à fidelibus suis omnem tumultum, laxabit captiuitatem, pacabit diuisa, restituat perditam, restaurabit euersa, & omnino auferet omne malum. Si quidem ipse est qui percudit, & sanat: excæcat, & illustrat: captiuat, & liberat: pauperem, facit, & ditat: mortificat, & uiuificat: deducit ad inferos, & reducit: humiliat, & subleuat, à quo, per quem, & in quo omnia, ipsi gloria & imperium in secula saeculorum.

Amen.

P A R S T E R T I A.

Odia

COMMENTAR. CAPVT V. 44

Odio habuerunt corripiētē in porta, &
loquentē perfecte, abominati sunt.

Aegris reproborum, carnaliūm oculis, odiosa est
gloriosa ueritatis lux, que est non ferenda iniqui-
tas & abominatio coram Domino, eo quod imma-
culatum salutis eternae sermonem, pro mendacijs execra-
bilibus abijciat, eaq; ratione, diuinæ misericordiæ fontem
sibijs occcludant. Ideo filijs Israël, id pro iniquitate gra-
uiissima imputatur, quod senes ac iudices Dei loco positos,
& in urbium portis, iuxta ueterum consuetudinem, &
mandatum Domini, Deut. 16. ad iudicandum populum se-
dentes, odirent, eorum correptiones neutiquam ferentes,
parijs insania abominarentur perfecte loquētem, hoc est,
heros Prophetas, quorum locu: idcirco perfecta dicitur,
& solum & eundem perfectiss. Dei sermonē annuncient.

Porrò olim in portis sedebant iudices, uolente Domi-
no, quo facilius uniuersorum causas definirent, & absque
difficultate à populo reperirentur, ut scias neceſsum fo-
re, ut qui populorum iudices facti sunt, ad sedandum quic-
quid exortum fuerit questionis, sint promptissimi. In i-
psis etiam portis siebat correptio, quod illam, ubi popu-
lum contingit, in palam fieri opus sit. Quod enim pro
multis facit, à multis agnoscatur neceſse est.

P A R S O V A R T A.

F 4 Idcirco